



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

9. De pœnis violantium sepulchra.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

hendi alibi eum, qui sepulturam non elegerit, aliquid exigi jure possit, quærit Riccius in *Praxi Decis.* 665. Et refert posse, itaque fuisse, resolutionem à Curia Romana, quia talis licentia peti solent causa consequendi honorabiliorem locum in alia Ecclesia; ideoque propter ejusmodi præminentiam posse honorem illum pretio estimari & vendi; cum hoc casu non vendatur sepultura, quæ gratis præstanda est defunctis. Videatur fultius Petri's Greg. Tholosan. *Partit. Juris Canon lib 1 Tit. 15 cap. 5. Zech. de Re-pub Christiana cap. 28. num. 19. vers. carceans miam.*

## §. IX.

## De pœnis violentium sepulcra.

1. Duplex in violatores est pœna, Civilis & Criminalis.
2. Quibus modis sepulcrum violatur.
3. Arma & insignia à sepulcris amoveri non posse.

**P**ostremo sepulcrorum violatores & civiliter & criminaliter puniuntur, l. 3. §. 1. de sepulcro. D. de sepulcro violato. Civilis pœna est pecuniaria; solvenda iis, quorum interest vel denuntiantibus; estque centum aureorum, d. l. 3. §. 1. & si quis in sepulcro, & d. l. de sepulcro, & quanti interest, l. Liborum D. de religiosis & sumpt. funerum. Criminalis est modo mulcta, modò capitalis.

2. Violatur autem Sepulcrum variis modis: ut si quis in sepulcrum alterius, eo invito, cadaver inferat; si dolo malo quis in eo habitet, aut ædificium, aliudne, quod causa sepulcri factum non est, habeat; si ossa alio transferat, non petita licentia à Pontifice, olim Principe, vel etiam à Magistratu, si causa rationabilis transferendi occurreret. Quod obtinet, quando cadaver ibi sepultum est eo animo, ut perpetuò illic maneat; alioquin si eo animo, ut postea aliò transferatur, licebit illud transferre sine licentia, nec sepultura temporalis locum religiosum facit. Item si quis sepulcrum demoliat; & si servus id fecerit, jubente domino, pœna est metallum; si absque jussu, relegatio.

Actio etiam de sepulcro violato infamiam irrogat, prout latius deducit & probat, aliaque eodem spectantia tradit Tholosanus *Syntagma Juris universi lib. 33. cap. 23 à num. 11.*

3. An autem affixio armorum in propriis sepulcris prohiberi possit, quærit Riccius in *Praxi Decisione* 667. & resolvit non posse: subjungens, contra amoventes arma atque insignia ex sepulcris dari actionem injuriarum.

## TITULUS. XXIX.

## De Parœciis &amp; Parœcianis.

## §. I.

## Quæ dicatur Ecclesia Parochialis, &amp; unde.

1. Ecclesiarum varia divisiones & differentie.
2. Curata Ecclesia qua sit.
3. Quæ Parochialis.
4. 5. Parochus & Parochia, item Paræcius & Parœcia unde dicantur.
6. 7. Ratio instituendarum Ecclesiarum parochialium.
8. Substantialia Ecclesia Parochialis.
9. Parochia distincta esse debent.
10. Item dotata pro decente sustentatione: & ratio dotandi.
11. Vnus dumtaxat præficiendus Ecclesia.
12. Parochianus seu Parœcianus qui censetur.

**O**missis Ecclesiarum variis divisionibus, differentiis, nominibus, pro varia ratione dignitatis, loci, formæ vivendi, & similibus ( ut quoddam alia dicatur Romana, alia Primitialis, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, seu Cathedralis, à Cathedra seu sede Episcopi: alia collegiata, eaque vel Regularis vel Sæcularis, alia non Collegiata; rursus alia Curata, alia Parochialis, alia Matrix, quæ subinde

V u 2

dicitur